



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XIV. Quid sit lumen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

spiritus ipse : id quod potest colligi ex quinto de generatione animalium, capite vltimo, & ex libro de animalium motu in fine. Alij vero sicut cum Galeno ponunt tria membra principalia ; tria genera spirituum distinguunt, nempe vitales ; animales, & naturales : verum naturales spiritus superflue ponuntur, hepar enim per spiritus non influit, vt lib. 2. cap. 11. probauimus : duo ergo spirituum genera restant : vitalium, qui à corde sunt in arterijs, & animalium, qui sunt à cerebro ex ipsis forte spiritibus vitalibus attemperatis : inter hos autem spiritus non numerauimus spiritum plantatum in semine generationi deseruientem, quia nunc tantum agimus de spiritibus deseruientibus ad proprias actiones animalis obeundas.

Ad primum Aristotelis argumentum quidam respondunt, quo tempore cor prius formatur, quam cerebrum, non habere sensum : sed hoc stare non potest, cum iam tunc habeat animam sensitivam, vt supra diximus : ea vero anima absque tactu esse non potest, quare respondendum, habere tunc imperfectum tactum, consimilem illorum animalium : qui perfectam organizationem non vendicant : cum vero postea perfecta anima informatur, perfectiorem sortiri tactum, ideoque tunc influxum recipere à cerebro. Ad secundum : negandum antecedens : nervi enim ad cerebrum terminantur, vt experientia docet, & Galenus lib. de Placitis, cap. 8. sunt quippe conformes substantiæ cerebri, vt pote molles, &c. Ad tertium responsum est in l. 2. iterumque respondetur operationes eiusdem ordinis ad vnum principium reductioni non tamen operationes diuersarum rationum, pertinentes scilicet ad diuersas virtutes principales. Ad quartum dicito illos actus pertinere ad appetitum sensitivum, de cuius sede dicitur lib. 5. cap. 4.

Ex dictis colliges breuiter, quomodo per somnum cessent sensitiue operationes : ascendunt scilicet vapores calidi, atque humidi ab stomacho ad cerebrum cuius frigiditate densantur, ad modum quo vapores in regione aeris, & sicut vapores hi sepe impediunt illustrationem Solis, ita illi diffusioni spirituum animalium obstant, quæ fit à cerebro, vnde dicta cessatio ab operationibus consequitur, quæ est somnus. Accedit etiam, quod vapores illi densatione iam graues descendant, ac per totum corpus spargantur, illudque proinde pigrum reddat ineptum ad operationes. Qua de re Aristotel. de somno, & vigilia, c. 3. Titelmanus lib. 20. suæ physicae, à capite decimonono vsque ad 22. Sicut autem sternutatio contingit ad excutendos vapores opprimentes cerebrum, ita pandiculatione ad depellendos, qui per totum corpus sparsi fuerant, eaque localis expulsio, atque exoneratio delectationem causat in tactu, qui in toto corpore residet. Et hæc de sensibus in communi præmissis sufficiat.

CAPVT XIV.

Quidnam sit lumen.

Dicendum sequitur de sensitiuis potentijs in speciali, ac primo de externis, de qua materia agit Aristoteles libro secundo de Anima, à capite septimo, vsque ad finem, estque tota philosophica, vnde Sanctus Thomas 1. p. q. 78. a. 3. de numero tantum externorum sensuum & collectione ipsius ex obiectis disputauit : nos vero totam doctrinam præsentis loco complectemur. Incipimus autem à principali sensu, nempe visu, cuius obiectum vel lumen est, vel certe per lumen completur, & ideo ab explicatione luminis ordimur. In proposita ergo questione fuit antiqua sententia, lumen secundum

Franc. Suarez de Anima.

dum se nihil esse præter ipsam coloris manifestationem, quæ sententia sua improbabilitate periit, sæpe enim contingit videre nos lumen, non viso colore, quod fieri non posset, si vera ac realis entitas non esset : præterea si lumen colorem manifestat, aliquid sane esse debet, quoniam id, quod nihil est si realem effectum habere nequit. Alij ergo putarunt lumen esse corpus. Ita sentire videtur Simplicius 2. de cælo, commento suo 29. quod etiam aperte falsum est primo. Quia lumen in eodem loco est cum corpore illuminato, sicque daretur naturaliter penetratio. Secundo, lumen per totum hæmisphærium diffunditur in instanti, corpus autem ad motum localem requirit tempus satis perceptibile, cum hæmisphærii spatium sit satis magnum. Tertio quoniam tale corpus annihilari oporteret in absentia illuminantis, cum per eius absentiam nihil positum producat, nisi ex Manichæorum errore tenebras aliquid positum esse dixeris. Vrges, quod sectione 1. problemate 33. ait Aristoteles, vocem melius audiri nocte, quam die, eo quod aer densior sit interdiu, vt pote refertus luce, ac radijs solaribus, quæ corpora esse dixeris. Hæc tamen verba assertiue non proferuntur, sed more inuelligantis : postea enim veram decisionem problematis assignat Philosophus. Videatur D. Thom. 1. p. quæst. 67. art. 2. Alia fuit sententia lucem esse formam substantialem, solis, quam videtur tenere Philoponus in opere de mundi æternitate contra Proclum, cap. 5. & 6. fallitur tamen, tum quia nulla substantia per se, sed per accidentia sentitur. Tum quia nulla etiam substantia immediate producit accidens in subiecto extraneo, cum tamen sol immediate per suam lucem producat lumen in aere, quod accidens illius est, cum ei in substantia constituto, aditque & ablit absque nulla eius corruptione : tum etiam, quia alioqui duæ essent formæ substantiales in eodem aere luminoso, nec lux intendi in eo posset, nec remitti.

Ex quibus colligitur iam prima conclusio. Lumen est actus accidentalis ad prædicamentum qualitatis pertinens. Prior pars patet ex dictis, quod lumen nec forma substantialis sit, nec corpus aliquod : est ergo forma accidentalis. Posterior suadet, tum quia in nullo alio prædicamento accidentium collocari potest. Tum quia habet modum afficiendi subiectum ab accidentibus alijs distinctum : tum denique quia est forma insensibilis, & remissibilis, ac per se primo sensibilis. Superest vero explicandum, cuiusmodi qualitas sit. Pro quo notandum ex Auicenna 6. naturalium, part. 3. cap. 2. & D. Thoma in 2. distinct. 13. artic. 3. & libro secundo de Anima, lectione 14. lucem, & lumen aqualiter distingui, lux enim dicitur qualitas lucens, prout est in fonte, seu corpore de se illuminante qualis lux Soli inherens, lumen vero illa qualitas, quæ in medio recipitur : diciturque præterea tum radius in quantum per lineam directam, vel reflexam vsque ad oculum tenditur : tum etiam splendor, præcipue quando huiusmodi lumen repercutitur ab aliquo corpore terfo, ac perpolitato. De luce igitur constat esse qualitatem illam quæ hæret torpori ex se lumen fundenti, in eoque proprium suum esse naturale retinere.

At de lumine non est omnium eadem sententia, nam Scotus in 2. d. 13. vult lumen habere tantum esse intentionale, ac debile non solum, quia in fieri, & esse pendet à luce, sed quia etiam eius est quasi intentionalis species, similitudine repræsentans. Idem placuit Egido lib. 2. de Anima, tex. 76. dubio secundo, & tertio, Thienensi text. 71. Buridano questione decima septima, Alsiano in questionibus perspectiue. Fundamentum asserunt, quod lumen habeat effectus omnes, & propriates

M

priorates

1. Opinio
reiecitur.Obiectio ad
Aristotela
disiuitur.Tertia opi-
nio falsa.2. Assertio
bipartita.Lux, lumen,
radius, splen-
dor, in quo
differant.3. De lumine
opinio Scoti
& aliorum.

Eius funda-

mentum
suadet
primo.
Secundo.

Tertio.

Quarto.
Quinto.

Opinio D.
Thoma ve-
rior ostendi-
tur.

Primo
Secundo.

Tertio.

Vitamque
opinionem
concluit
Causa.

4
a. Assertio
communis.

5
Tertia as-
sertio tri-
partita.

1. Pars D.
Thoma &
aliorum pro-
bat.

Secunda
pars ostendi-
tur primo.

Secundo.

prietates speciei intentionalis, primo enim sicut per speciem coloris colorem videmus, ipsa autem species non videtur, ita per lumen lux Solis conspicitur, non autem lumen. Secundo sensibile positum super sensum secundum reale esse, reale non causat sensationem, causat autem positum secundum esse intentionale, at lumen appositum oculis visionem causat, teste experientia, atque Aristotele in libro de sensu, & sensibili, cap. 2. habet ergo tantum intentionale esse. Tertio, ut species intentionalis durat tantum in praesentia cause illam diffundentis, ita & lumen in praesentia tantum lucentis corporis. Quarto ut species intentionalis contrario vacat, ita & lumen. Quinto ut plures species intentionales eiusdem obiecti in eodem sunt medio, ita & plura lumina, plura siquidem luminosa plures causant umbras. Dicitur Thomas nihilominus supra articulo tertio hanc sententiam improbat, existimatque lumen esse qualitatem veram, habentemque proprium esse reale, & non tantum representativum alterius. Eius fundamentum oppositum est, quod omnes vendicet proprietates, quas solet qualitas in suo esse reali consistens: primo enim lumen denominat subiectum lucens, quod minimè praestat species intentionalis. Secundo physicos effectus causat, non item species intentionales, est siquidem calefaciendi, siccandi que principium, &c. Tertio sensu cognoscitur externo, non item species. Quoniam vero rationes utriusque sententiae videtur virgere Caietanus prima parte supra, quem multi sequuntur, virisque succumbens ait lumen, quod qualitas sit nobilissima, eminenter habere tum reale esse, tum etiam intentionale.

Sit vero secunda conclusio. Lumen habet verum esse naturale, & reale. Ita communiter expostores loco citato ex libro secundo de Anima, Alexander, Simplicius, Themistius, Philoponus, & Averrois, Albertus tractatu tertio, capite decimo, & undecimo, Avicenna supra relatus. Scholastici in secunda, distinctione decimatercia, vti Dicitur Bonaventuras Richardus, Durandus quaestione secunda. Hervaeus quodlibeto tertio, quaestione 18. ac rationes Dicitur Thomae sunt optimae. Arguoque ulterius, nam lumen à sole productum eiusdem rationis est, quantum fit in corpore raro, ut in aere, ac quando in denso, ut in luna, aut speculo, solumque differt ex parte subiecti, sed in luna habet verum esse reale, lucet enim, ac sentitur, tantquam proprium visus sensibile, & calefacit. Ergo &c.

Ad maiorem tamen explicationem secundae huius conclusionis addo tertiam. Lumen in aere est qualitas per se visibilis tanquam obiectum, atque adeo non per seipsum, sed per speciem sui videtur, neque per eam sol tanquam per speciem cernitur. Primam partem conclusionis tradunt D. Thomas, Egidius, & alij citato libro de anima, textu 68. Et probatur experientia, visus enim non discernit obiectum solum in quod terminatur, sed etiam medium quod nunc lucidius, quam antea distinguit: percipit ergo lumen in ipso medio. Item, si vacuum esset, visus nihil in medio conspiceret: aliquid ergo nunc in eo, quando lucidum apparet, contuemur, id est, lumen. Vnde Aristoteles illo loco scribit diaphanum non per se, sed per lumen, visibile esse. Iam secunda pars conclusionis probatur primo. Nam lumen similitudo non est, species autem ab authoribus oppositae sententiae ponitur similitudo. Secundo, medij illuminati figuram discernimus, ac diuersas eius partes magis, minusve illuminatas, quod signum est talis medij lumen non videri per particulam luminis pertinentis ad oculum, (illa enim praedicta omnia non representat) sed videri per speciem sui, quam ad

oculum transmittit. Tertio, quando lumen aëris simul, ac luna conspicimus, specie eiusdem rationis utimur, cum ipsa lumina visus eiusdem sunt rationis: atqui lumen luna haerens videmus per speciem, ut mox ostendimus, ergo, & lumen aëris per speciem quoque intuemur. Quarto, si lumen per se ipsum videri posset, non esset cur oculus non videret lumen intra ipsum existens, cum tamen si obijciatur speculum, lumen intra oculum existens contuemur, cuius discriminis ratio alia non succurrit, quam speciei reflexio ab speculo: lumen ergo speciem diffundit, per quam videatur. Tandem post visum à nobis lumen, manet in imaginatione species, per quam deinceps abstrahit cognoscitur, non manet autem ipsum lumen realiter: non ergo lumen incapax est representari per intentionalem speciem ab ipso distinctam. Tertia pars conclusionis persuadetur ferè ipsidem argumentis: eadem enim ratio est de luce Solis, & de lumine in medio aere. Deinde arguo primo. Lumen, neque luminosum ipsum, neque figuram illius representat, medium enim pariter illuminatur, cuiusque figura fit luminosum: representatur ergo per propriam speciem. Secundo, lumen non ordinatur ad cognitionem luminosi, sed est quaedam communicatio sui luminis, sicut calor calorem efficit, unde lumen non fit solum in medio ad inspicendum idoneo, sed in re quavis apta ad illud secundum proprium esse naturale recipiendum. Tertio si lumen esset species per quam sol, verbi gratia, videtur, plane recepto lumine in oculo speciem Solis recipereamus, quod cum experientia pugnat: alias eo ipso, quod oculus lumine illustraretur, solem videret. Denique huic rei fauet experientia, nam species, ac radij Solis ad speculum pertinentes, reflexi ad oculum causant Solis similitudinem, ideo certe, quia speciem aliquam distinctam à lumine producant, nam lumen absque speculo emitteretur à Sole, qui tamen tunc minime representabatur. Simile experimentum est de aqua, quam si feriant directe solis vel lunæ radij, illorum representatio causatur. Ex quibus patet solam Dicitur Thomae sententiam recte asserere lumen esse propriam qualitatem naturalem, realemque, & non intentionalem, cum speciei officium nunquam exerceat: solet tamen aliquando intentionalis vocari, quia inter corporeas accedit maximè ad spirituales, utpote perfectior, ac subtilior inter corporeas. Quo modo loquendi utitur interdum Dicitur Thomas, ut in 4. dist. 1. q. 4. a. 4. de potentia, q. 5. artic. 1. ad 5. & quaest. 6. art. 4. Vnde & à quibusdam lumen medium dicitur inter corporalia, & spiritualia, videatur Martilius Ficinus ad dialogum de coniugio, c. 4. & libr. 7. de republica.

Ad primum ergo Scoti, neganda illa comparatio: secundum militat potius esse contra ipsum Scotum, nam si videtur lumen per seipsum, sane positum super sensum causabit sensationem. Respondetur tamen lumen existens intra oculum non videri, sed lumen exterius per ipsius speciem in oculo existentem. Ad tertium negatur etiam similitudo illa, nam talis proprietates communis est multis effectibus: similiterque ad quartum negatur, carere contrario, proprium esse speciei, cum multis alijs qualitatibus conveniat, & praecipue luminis, utpote qualitati superiorum corporum. Ad quintum multi perspectui censent duo lumina esse simul in eodem subiecto, de quare alibi la- tius: nunc tamen necesse est nulla est id asserendi, licet enim duo luminosa ponantur efficere lumen unum intensius, ut docent Dicitur Thomas 3. part. quaestione 9. articulo quarto. Durand. supra Caiet. 1. part. q. 4. art. 6. Capreol. in 2. distinct. 7. quaest. 2. Ferrar. 4. contra, c. 26. duæ tamen umbræ causant

SVAREZ
de Angelis, op
re 6. dicitur, et
anima.

THOMAS
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII

D. N. 2

buntur, eo quod duæ mediæ partes sint impeditæ, quominus in eis possit fieri lumen æquale in-
tentum, ac in cæteris mediæ partibus, vmbra au-
tem nihil est aliud, quam luminis carentia: quod
autem ab unico obstaculo duæ partes aeris impe-
diantur, ratio clara est, quia duobus luminosis
opponitur, ac respectu diuersarum partium tota-
lis mediæ.

Ex his colligitur, effectum formalem luminis
esse reddere rem perspicuam, & claram, quem Ari-
stoteles sua definitione explicuit, dicens, lumen esse
actum perspicui, &c. Ad eius maiorem intelligenti-
am notandum, corpus perspicuum, seu diaphanum
dici aut in potentia, aut in actu: in potentia qui-
dem, quatenus propter suam diaphaneitatem
tanquam dispositionem redditur aptum, vt illu-
minetur: in actu vero quando iam illustratur, vel
secundum se totum, quod transparentes dicitur, vel
tantum in superficie, quod solet dici diaphanum
terminatum: effectus ergo formalis luminis est
constituere actu corpus diaphanum.

Atque ex his intelligitur, quodnam sit subie-
ctum luminis, omne enim corpus, quod à lumine
manifestari potest, & perspicuum redditur, potest
esse subiectum luminis. Corpora quidem transpa-
rentia secundum se tota, id est, secundum profun-
ditatem etiam luminis subiiciuntur: corpora vero
opaca secundum superficiem tantum luminis sub-
iiciuntur, quod etiam à nonnullis negetur, est ta-
men aperta sententia Aristotelis de sensu, & sen-
sibili, capite tertio, ac Diui Thomæ ibi lectione
sexta, experientiaque constat, percipit enim visus
rem albam, & illuminatam, ac distinguit in ea lu-
men ab albedine: quamvis vero ob densitatem, seu
opacitatem lumen interius non peruat, at-
tamen cum attingit superficiem cui hæret color,
in eadem poterit subiectari. Item lumen aerem
illustrat vsque ad vltimam eius superficiem, vt li-
quet experientia: ergo superficies de se est subie-
ctum aptum, cui inhæreat lumen: ergo poterit et-
iam recipi in superficie corporis opaci, nam partes
intra talem superficiem contentæ id non possunt
impedire. Ex his ergo, & subiectum luminis &
quidditas eius patefuit, quo autem modo visioni
deferuiat c. 16. dicitur.

Sed restat dubium, an lux, & lumen speciei di-
stinguantur. Et affirmant non pauci, quod vna sit
qualitas elementaris, altera celestis. Ita Marfilus
secundo de generatione, questione prima, Aegidius
2. de Anima, text. 69. Albertus, Apollinaris,
& Thienensis indicat etiam D. Thomas in 4. d. 44.
q. 2. a. 1. quæstionem 3. ad tertium. Fundamentum
tamen huius sententiæ debile est: multa enim dan-
tur accidentia communia calis cum elementis, vt
quantitas, figura, &c. Nec dubium, quin lumen, v-
g. à sole productum in aere, & luna eiusdem sint
speciei, cum maximè similia, ac sine ulla ratione
distinctionis appareant: non dubium etiam quin
lumina à sole atque igne causata eiusdem sint na-
tura specificæ, imò sæpe etiam numerica, cum v-
num ab altero intendatur. Aliud ergo fundamen-
tum afferri potest pro distinctione apparentius,
quod lux sit proprietas dimanans à forma Solis,
aut ignis, lumen autem effectus quidam extrinse-
cus. Item quia si eiusdem speciei essent, posset in-
tendi ad æqualitatem lumen aeris à Sole, quod
plane falsum videtur: similis difficultas est de luce
ignis, & Solis, an inter se speciei differant, non e-
nim videntur posse conuenire. Nihilominus pro-
babile est hæc omnia eiusdem esse speciei, quod
sensit Caieranus, & Venerus secundo de anima,
textu 68. Astudius secundo de generatione, Di-
uus Thomas 2. de celo, lectione 14. & de veritate q.
9. articulus 1. Fauetque similitudo, quam inter has
qualitates obseruamus. Quando ergo qualitas a-

Francisc. Suarez de Anima.

ctua (vt proximo fundamento satisficiamus)
proprietas est, contingit communicari secundum
eandem speciem, licet non cum tanta perfectione,
sic magnes communicat ferro virtutem trahendi
ferrum aliud, vt alibi dictum est. Itaque licet nihil
in hac re cerum habeam, hoc tamen posterius vi-
detur verosimilius.

Vide disp. 18
Metaph.
sect. 8. a. n. 34.

C A P V T X V.

Quidnam sit color, & quomodo in species
suas distinguatur.

Non solum lumen, sed colores etiam visu per-
cipiuntur: post lumen igitur dicendum sequi-
tur de colore, ac primo, quid sit. Secundo quas
habeat species. Circa primum, est notandum, co-
lorem & afficere subiectum, quod per entitatem
suam præstat, & visibilem esse: nunc entitatem
vestigamus, sequenti capite de visibilitate dice-
mus. Est autem certa sententia colorem ad prædi-
camentum qualitatis pertinere, quæ tamen qua-
litas sit, non satis constat. Nonnulli autem col-
lorem non esse peculiarem qualitatem in corpore
colorato, sed esse lumen ipsum in corpore denso,
& solido receptum, nam sicut corpus diaphanum,
& rarum aptum est, vt illuminetur à luce, ita cor-
pus opacum, vt ab ea coloretur, coloratur autem
diuerso modo, iuxta diuersas ipsius dispositiones,
atque ita opinantes exponunt Aristotelem de sen-
su, & sensibili, capite tertio, cum scribit colorem
esse extremitatem perspicui in terminato corpo-
re, terminatum enim vocatur densum corpus, eo
quod in ipso sistit, seu terminatur visio: perspicui-
tatem ergo existentem in extremitate opaci cor-
poris vult Aristoteles esse colorem: talis vero per-
spicuitas nõ nisi lumen est ibi receptum: ergo, &c.
Vel aliter perspicuum dicitur corpus transparentes,
vt aer, huiusmodi autem perspicuum vsque ad
corpus aliquod opacum protenditur, ibique ter-
minatur, cum vacuum dari non possit: Aristoteles
ergo extremitatem ipsam aeris perspicui, quæ ad
corpus opacum terminatur, vult esse colorem, ta-
lis autem extremitas lumen est: ergo, &c. Confir-
matur hæc sententia, namque experimur colores
fieri ex sola terminatione: sic in aube densa: ergo
reuera color non est aliud, quam lux terminata in
denso corpore. Atque ita sentit Auicenna 6. natu-
ralium 3. part. cap. 1. citans Aucempace, & Alphar-
bium. Idem fere habet Alexand. lib. 1. quæstionum
naturalium, q. 1. c. 2. cum dicat colorem essentiali-
ter à luce non differre, sed lucem ipsam in opaco
corpore colorem esse. Idem sequitur Thienensis. de
Anim. cap. de visu, Themist. Aegid. & Caiet. l. 2. c. 7.
Iauel. ib. q. 33. Soncinas 10. Metaph. q. 2.

Circa primam
partem si-
tuli opinio
quorundam.

Declaratus
hæc opinio.

Confirm.

Dico tamen, colorem esse qualitatem perma-
nentem in corpore colorato (etiam si non illumi-
netur) resultantem in illo ex elementorum mix-
tione. Hæc est sententia D. Thomæ vbique, ac sua-
detur primo. Nam visus distinguit in obiecto lu-
cem à colore, cum enim videat duo corpora æ-
qualiter esse illuminata, vt pote in æquali situ, ma-
gnitudine, ac distantia à sole, discernit tamen al-
terum esse album, alterum nigrum. Secundo do-
cet experientia lumen existens in corpore albo re-
mitti, albedine manente immutata: non ergo al-
bedo est lux ipsa: antecedens ita ostenditur, si quis
videat rem albam à certa distantia remissa fortè
paululum luce, minus discernit alborem: si
tamen propius ad rem ipsam albam accedat, æ-
què discernet, ac antea, quia quod de luce est im-
minutum, suppletur accessu fuit: tunc ergo
visus percipit lumen esse minus, albedinem ve-
ro manere eandem, atque adeo percipit lucem à
colore distingui: imò & alborem in absentia
lumi-

Contraria
affertio bi-
partita.
Suadetur
prior pars
primo.

Secundo.

M 2